



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

LVI. Praeceptum Lotharij Imperatoris pro Agilmaro Archiepiscopo
Viennensi ut de bonis ac facultatibus suis statuere possit pro suae
voluntatis arbitrio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

largitionis atque donationis auctoritas perpetuam obtineat firmitatem, manu propria subter eam firmavimus, & de anulo nostro sigillati iussimus.

Signum Karoli gloriosissimi Regis.

Deormarus Notarius ad vicem Hladovici recognovi.

Data Idus Novembris Indictione v. i. anno iv. regnante Karolo glorioso Rege.

Actum in tentoriis prope Redonis civitate in Dei nomine feliciter. Amen.

LVI.

Præceptum Lotharii Imperatoris pro Agilmaro Archiepiscopo Viennensi us de bonis ac facultatibus suis statueret pro sua voluntatis arbitrio.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni, Lotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Dignum est ut imperialis sublimitas procerum suorum * sublimitas tantò benignius ac libentius annuat & annuendo adimpleat quanto videtur ac noverit in suis obsequiis persistere efficaces. Idcirco * omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostrorum præsentium videlicet & futurorum solertia quia Agilmarus sanctæ Viennensis Ecclesiæ vocatus Archiepiscopus & sacri palatii nostri Archicancellarius nostram præstitit excellentiam ut omnes res quas de paterna vel materna ei evenerunt hereditate, vel eas quas ipse per diversa loca quocunque ingenio iustè & legaliter adquisisse dinoscitur, seu & illas quas Deo opitulante iustè & legaliter acquirere potuerit tam per venditionem vel concambium seu per donationem aliquam, per præceptum nostræ immunitatis illi sanciremus habendas. Cujus precibus propter * devotissimum libenter annuentes, hoc nostræ immunitatis præceptum ei fieri decrevimus, per quod omnes res suas illi sancimus, modisque omnibus confirmamus, quæ ei, sicut supra dictum est, de paterna vel materna hereditate advenientes, in quibuslibet pagis & locis consistentes, sicut & eas quas, sicut præfati sumus, iustè & legaliter quolibet modo tam per donationem Regum vel per venditionem atque concambium seu per aliquam donationem adquisisse dinoscitur, ut absque alicujus contradictione vel refragatione quieto eas ipse ac pacifico jure possideat, & cuicunque voluerit derelinquat, & nemo hominum neque cuiusquam potestatis persona ullo unquam in tempore de omnibus rebus suis vel hominibus, liberis scilicet ac servis, qui super terram ipsius commanere videntur, aliquam illi inferre præsumat contrarietatem vel inquietudinem; sed liceat ei cum ipsis rebus vel hominibus, sicut supra dictum est, sub nostræ immunitatis tuitione ac mundeburdo quietè vivere ac pacificè residere. Si verò aliqua querimonia adversus homines suos liberos & servos ortæ fuerint, quæ absque gravi iniquoque dispendio nequeant diffiniri, jubemus ut ante nostram usque suspendatur præsentiam, quatinus ibi juxta legis ordinem finitivam accipiant sententiam. Et quicum-

Tom. II.

que contra hoc nostræ immunitatis præceptum ire aut aliquid agere tentaverit, vel illud violare præsumperit, sciat se eandem immunitatem composurum. Et ut hæc nostræ corroboracionis atque immunitatis præceptio inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter illud firmavimus & anuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum Hlotharj serenissimi Augusti.

Ercamboldus Notarius ad vicem Agilmari recognovi.

Data x. i. Kal. Novemb. anno Christo propitio imperij Domni Lotharj pij Imperatoris in Italia x. x. i. v. & in Francia i. i. i. i. Indictione v. i.

Actum Aquisgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

LVII.

Præceptum Lotharii Imperatoris quo confirmat possessionem Ecclesiæ Viennensis in villa Toliano.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni, Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Dignum est ut erga loca divinis cultibus mancipata munificentie nostræ conferamus largitatem, ut & anteriorum sequamur morem Imperatorum, atque propensius Dei nos credimus ope fulciti & ad præsentem gloriosius transigendam prosperitatem & ad futuram felicius obtinendam beatitudinem, si debitam circa Ecclesias sollicitudinem gerimus. Idcirco noverit omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostrorum tam præsentium quam & futurorum industria quia Agilmarus venerabilis sanctæ Viennensis Ecclesiæ vocatus Archiepiscopus & sacri palatii nostri Archicancellarius nostræ innovit serenitati qualiter tempore prædecessorum suorum quædam villa quæ nuncupatur Tolianus à sede sibi commissa libera facta fuerat. Unde isdem Agilmarus nostram petiit excellentiam ut Tolianum Ecclesiæ Viennensi, cui ipse Deo auctore præsidet, & constructa habetur in honore beati Mauricij martyris Christi, per nostræ auctoritatis præceptum redderemus atque confirmarem. Cujus petitioni assensum præbentes, hos sublimitatis nostræ apices decrevimus fieri, per quos memoratam villam cum omnibus appendiciis suis consistentem in pago Tolianense præfata sanctæ Viennensis Ecclesiæ sancimus modisque omnibus confirmamus, ut tam nostris quamque successorum nostrorum temporibus in dominatione ac potestate ejusdem Agilmari ac successorum suorum permaneat, ut quicquid ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ facere decreverint, liberam in omnibus per hanc nostram auctoritatem habeant potestatem faciendi absque alicujus contradictione vel repetitione seu qualibet refragatione. Et ut hæc nostræ largitionis atque confirmacionis auctoritas inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subter firmavimus & anuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum Hlotharj serenissimi Augusti.

Y Y y y

An. 844.
Ex chartulario Ecclesiæ Viennensis.
* postulationibus.
* noverit

An. 844.
Ex eodem chartulario.

* devotionem ejus